

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

§. XIII

urn:nbn:de:bsz:31-105555

getur usque ad mortem : ut ne quinque fratribus quidem denegetur : *habent Moſen & Propbetas, audiant illos, ibid.* Sic cœlum cum inferno, & gratiam cum æterna ignominia confundunt.

§. XIII.

Jam sub examen revocanda erant, Scripturæ loca, quæ magno conatu depravata & in sequiorem sententiam detorta sunt. Et fateor animum fuisse, singulari Sectione hanc telam pertexere. Sed negotium ingressus, mutavi animum, cum operæ istius pretium non deprehenderem. Sic 1.) *Prov. 1, 24. seq.* Sapientia hypostatica impiis toties vocatis, denegat auxilium in tribulatione : Ergone a gratia & salute excludit ? 2.) *Hiob. 33, 29.* Elihu loquitur de vicissitudine calamitatum & liberatione ex illis ; quæ piis etiam in hac vita tribus vicibus, i. e. aliquoties, contingat : sed quæ hinc ad terminum salutis collectio ? 3.) *Jer. 7, 16, 11, 14, 14, 11, 15, 1.* *Ezech. 14, 14.* Deus impœnitentibus sub pœna temporali, denegat exauditionem precum & intercessionum : Sed hoc ipso non præcludit iis ad pœnitentiam reditum, quia de conditione impœnitentiæ hæc tantum intelligenda, *Quod si conversa fuerit gens ista a malitia sua, pœnitabit me super malo, quod cogitavi facere illi. Jer. XIII, 8.* Ideoque Jeremias pro iis intercedit, *cap. XIV, 19.* Hinc instar Regulæ est illud : *si Justitias meas profanabunt, tunc visitabo in virga iniquitates eorum ; misericordiam tamen meam non dispergam ab iis. Ps. XXCI, 32, 33, 34, 4.* *Luc. XIII, 7.* Parabolam de ficu per triennium sterili & ideo succisa huc trahunt. Sed Parabola docet : Deum ad ultimam usque

usque ætatem ab homine expectare fruges, addente Gerhar-
 do: *Non de cujusquam salute temere desperandum, eum Christi intercessione etiam in ultima mortis hora quis con-
 verti possit.* Harmon. T. I. p. 1208. Reliqua ne tango qui-
 dem, sed ad publicam συζητησιν remitto, & Pl. Reverendo
 Candidato discutienda relinquo.

§. XIV.

Unum illud superest, quod Orthodoxorum consen-
 sum tam proterve objiciant, & Lutheri, Gerhardi, Fran-
 zii, Danhaueri, Carpzoviorum, Pfeifferi, aliorumque
 autoritate, fulcire deploratam causam conentur. Ve-
 rum priores omnes ita vindicavit D. Musæus in Tr. An-
 ti-Stengeriano, ut, si quis eo acquiescere nolit, ne ver-
 bo quidem dignus sit, nedum prolixa refutatione. De
 ceteris nihil addo, nisi hoc unum: *Mortuis Leonibus vel
 simidos insultare.* Aliud enim est, similem quandam phra-
 sin ex Legis rigore adhibere, aliud fontes simul Evan-
 gelicos turbare, & suborto certamine heterodoxiam
 propugnare; id quod a Theologis tam cor-
 datis ac solidis semper fuit
 alienum.

S. D. G.